



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt episcopus accusatores fratrum excommunicet. xxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

rum intendant, quāta illis post hoc aeterna supplicia preparentur, dicente propheta: Ducent in bonis dies suos, & subitò ad inferna descendunt.

*Vt iudex, non prius obuiet sua sententia litigantibus
quandiu ipsi habent aliquid quod proponant in
questione. Cap. XXX.*

Ex decr. Eleuterij papæ ecclésiæ per Gallia cōstitutis. cap. 3. **N**E C litigantibus iudex prius velit sua sententia obuiare, nisi quando ipsi iā peractis omnibus nihil habeant in questione quod proponant. Et tādū actio ventiletur, quousq; rei veritas reperiatur. Frequēter interrogare oportet, ne aliquid prætermissum fortè remaneat, quod adnecti conueniat. Induciæ enim non modicè ad querendum dandæ sunt, ne aliquid properè agi à quacunq; parte videatur: quia per subreptionem multa proueniunt. Nihil amen absq; legitimo, & idoneo accusatore fiat. Nā & dominus noster Iesus Christus Iudæ furem esse sciebat: sed quia non est accusatus, ideo nō est eiectus: & quicquid inter apostolos egit, pro dignitate ministerii ratum mansit. Nam si leges seculi accusatores requirunt, quantò magis ecclesiasticæ regulæ? Docent enim terrestria, & humana quæ sint ecclesiastica, atque cœlestia.

*Vt non ydem sint accusatores, & iudices, & testes,
& accusati. Cap. XXXI.*

Ex dictis Damasci papæ, ca. 19. **A**ccusatores verò & iudices non iidem sint: sed per se accusatores, per se iudices, per se testes, per se accusati, vnusquisq; in suo ordinabiliter ordine. Nā in scriptura prima semper fiat, vt talionem calumniator accipiat. Quæ ante inscriptionē nemo debet iudicari, vel dānari, cum seculi leges hæc eadem retineant. De quib⁹ omnibus vt semper fiat æqualitas, quatenus accusationis & iudicii, & testimonii mercedē per veritatē gestorū cōsequi valeant.

Vt eius accusationem nullus facillè accipiat, qui facillè litigat, & accusat. Cap. XXXII.

Ex cōcil. Vvorma-ciē. ca. 2. **E**ius qui frequenter litigat, & ad accusandum est factus, accusationem nemo absq; grādi examine accipiat. *Vt episcopus accusatores fratrum excommunicet. Cap. XXXIII.*

Ex cōcil. Aurelia. cap. 1. **V**t episcopus accusatores fratrum excommunicet, si emendauerint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad clerum.